69)

D. Martino Luthero Nicolaus Amsdorff S.

Hans Hornbegk homo pius, amicus et fautor Lutheri sum-
mus te valde reverenter salutat, mi Pater in Christo cha-
rissime, rogans humiliter, ut ejus literis inclusis respon-
dere velis, meq; vehementer rogavit, ut eas tibi mitterem,
postulatur responsum. Quod si feceris, facies rem gra-
tam homini Christiano, sed quando otiosus es, ut retulit
Eblingus Alman, ita ut nihil aliud habeat Lutherus
quam praelegere, praedicere et scribere tot libros et Episto-
las ad diversas mundi partes, eo melius his literis respon-
dere poteris. Audio n. Epistolae authores esse viros bonos
ex corde Christum diligentes, qui non vellent quicquam
Evangelio indignum facere, quod facile ex literis intelli-
ges, quas ad te scripserant. Arbitror te scire, quid agit
Hallis sponsa Moguntina; evomit enim publice, quae jam-
dudum secum meditatus est, nec amplius vult in utramq;
partem claudicare, sed aperto Marte nobiscum confligere.
Non audeo scribere quantam pecuniae vim et summam
a suis subditis extorqueat tyrannus, certe incredibilem
et vix unquam in his literis auditam; fecit novos aulicos
consiliarios, nempe der thumprobst zum hoffmeister,
drey thumherrn und ein alt kriegsman obersten
räthe. Vale in Christo mi Pater. Magdeburgi 18. Octo-
bris Anno 1531.

Tuus Nic. Amßdorff.